DE EPISCOPORUM TESTAMENTI FACTIONE ACTIVA,

EORUNDEMQUE

TESTAMENTIS SANCTE ORDINANDIS

DISSERTATIO HISTORICO-CANONICA,

UNA CUM PARERGIS

PRO EXERCITIO,

AD TENTAMEN INAUGURALE QUALIFICANTE,

AD DIEM 19. AUGUSTI, AB HORA IX. USQUE AD X.

publicæ Disputationi proposita,

PRÆSIDE

PLURIMUM REVERENDO, PRÆNOBILI, CLARISSIM

CONSULTISSIMOQUE VIRO, AC DOMINO,

D. GEORGIO CHRISTOPH. NELLER,

U. J. D., & ad Doctoratum Ss. Theologiæ admisso, Em nentissimi Principis Electoris, & Archi-Episcopi Trevirensis Consil rio Ecclesiastico actuali, Vicariatûs, & Consistorii Episcopalis Wirceburge sis Assessore pariter actuali, Ss. Cæsarearum Majestatum per Imperium, Ditiones Austriacas Comite palatino, insignis Collegiatæ Ecclesiæ ad S. meonem Treviris Canonico Capitulari, Syndico, & Bibliothecario, SS. C nonum in almâ, & antiquissimâ Universitate Trevirensi Professore publico, ejusdémque, & inclytæ Facultatis Juridicæ Assessore,

DEFENDENTE

PRÆNOBILI, ORNATISSIMOQUE DOMINO

MAXIMILIANO HENRICO LUDOVICO HÜGEL

Confluo, insignis Ecclesiæ Collegiatæ ad S. Castorem Canonico, Jurium Auditore.

TREVIRIS *in Auditorio Juridico Majore Vici Tetradii.*

Anno MDCCLXI.

Typis JOANNIS CHRISTOPHORI ESCHERMANN.

OPPUGNANTES.

NOBILES, AC ORNATI DOMINI,

D. NICOLAUS NAUNHEIM, Confluus.

D. HENRICUS IGNATIUS BENDER, ex valle Ehrenbreitſtein.

JURIUM AUDITORES.

EXCELLENTISSIMO,
ILLUSTRISSIMO,
AC
GENEROSISSIMO DOMINO,
D. FRANCISCO LUDOVICO
LIB. BARONI
DE BREIDBACH,
DOMINO in BÜRRESHEIM,
CONSILIARIO ELECTORALI TREVIRENSI INTIMO,
NEC NON
GUARDIÆ PERSONALIS EQUESTRIS
MAGISTRO;
Inclyti Ordinis equeſtris Coloniensis de S. MICHAELI
COMMENDATORI,
vulgò
Groß-Creutz-Herrn,
Domino mihi admodùm gratioſo.

EXCELLENTISSIME, ILLUSTRISSIME, AC GENEROSISSIME S. R. I. *LIBER BARO*

Domine perquàm mihi gratiose.

Vicinus vicinum amat, major minorem protegit, minor majori servit: primum viciniæ officium Domus Bürreshemiana *exhibuit hactenùs gratiosè, tam charis parentibus meis, quàm mihi præsertim, cœterísque prolibus infimis, à puero. Hæc causa impulsiva est præsentis Thesium mearum dedicationis, ut in unico* Illuriſſimi Rami hujus *Propagatore,* EXCELLENTIA VESTRA, *toti Domui grates pro gratiis receptis quales quales rependam.*

Ast! de Nuptiis, *quas ex* WALDERDORFFIANA *Domo illustrissimâ nondum abhinc anno contraxisti faustissimas, convenisset à me dissri! Ignoscat* EXCELLENTIA VESTRA *mihi* Canonico, *qui gaudentibus uidem congaudens animitùs gratulor,* psalterium *autem præ* cytharâ

pulſo, lugubres potiùs modulos cantare doctus in Jure Canonico, quàm Epithalamium.

Triſte argumentum dedico de Teſtamentis Epiſcoporum, *quo ipſum infandum renovabo dolorem, ingeſtâ fatalis illius diei recordatione, quo Sereniſſimus quondam* Coloniensium *Archi-Epiſcopus fecit teſtamentum in conſpectu* EXCELLENTIÆ VESTRÆ, *ſummè lugentis: obiit Sereniſſimus, inquam, ille, qui* Bürresheimenſes *ſpecialiter dilexit, qui* EXCELLENTIAM VESTRAM *non ita pridem in Palatio* Ehrenbreitſtein *non ſolùm* motu proprio *in Ordinem S.* Michaëlis *adlegerat, ſed etiam, quod diſtinctionis genus Altefatæ* Serenitati Suæ *glor. mem. prorsùs inſuetum atque extraordinarium fuerat, ejuſdem inclyti Ordinis inſignibus propriâ manu inveſtiverat.*

Veruntamen fidelibus animis ipſe diſceſſus charorum ad Cœli gaudia pro ſolatio eſt: mœrori pro malagmate eſt piiſſima ad iter æternitatis preparatio: Vixit CLEMENS AUGUSTUS, *tanquam verus Archi-Epiſcopus obiit, ſicut decet Antiſtitem; teſtatus eſt paulò anteà, ſicut ſanctus Epiſcopus: hæredem fecit Eccleſiam, ut ſolaretur viduam mox futuram*

ivit immortalis Archi-Sacerdos in hærede immortali; quæ res, si ulla est
oloris leniendi potens, lacrymas Bürresheimensis *Familiæ abstergere*
bet, luctúmque ejus mitigare, utpote Gentis, quæ Archi-Episcopatui Co-
niensi, *in quo propè Bonnam stemmaticum Castrum* Breidbach *ab*
ntiquo fixerat, nunquam non extitit devotissima: Huic sanctæ Metropo-
tanæ Ecclesiæ jam Sæc. XVI. inserviit WILHELMUS *à* Breidbach *quà*
onsiliarius Electoralis intimus, & satrapa Bonnensis: Sæc. XVII.
vus EXCELLENTIÆ VESTRÆ, *cujus tanquam Commissarii Cæsarei*
emoriam fasti Agrippinensis Civitatis ob tumultus anno 1683. & 84.
pienter sedatos semper colunt, qui sibi, suísque descendentibus propterea
Magistratu Ubiorum jura civica promeruit, cujus laudabilia hâc in
fficili re, nec non in obitis bellorum tempore legationibus, merita LEO-
LDI I. *Cæsaris rescripta, etiamnum asservata, deprædicant,* GEOR-
US RHEINHARDUS, *eidem Archi-Episcopatui Electorali fuit ab intimis*
nsiliis, rexítque satrapias Lintzensem, & Altenwiedensem. *Piissimæ*
ordationis Parentem FERDINANDUM DAMIANUM *laudant Ephemeri-*
electionis Cæsareæ de anno 1711. *Consiliarium Electoralem Colo-*

nienſem, poſteà quoque intimum; qui & prædictis ſatrapiis præfectu-
erat, Vir meritis, & indole ſummus, in magnis filiis etiam poſt fata
ſuperſtes & magnus, quos inter Excellentiſſimus D. FRIDERICUS FRAN-
CISCUS ADAMUS, *Archi-Camerarius Coloniensis, Conſiliarius de ſcamnis*
Nobilium intimus, & aulicus, ſatrapa modernus in Lintz, & Alden-
wied, CLEMENTI AUGUSTO *notoriè perdilectus. Eſt itaque, cur partem*
ſolatii, quod à prælaudato Coloniensi teſtamento Eccleſiæ huic ſanctæ ob-
venit, Bürresheimenſis *quoque ſibi vindicet Familia.*

Sed Viro ſæcularis ſtatûs diſſertationem inſcribere, quæ familiis ſucceſ-
ſiones in collectis ex Epiſcopatu divitiis abjudicat, minùs videtur qua-
drare! Hoc me non retrahit à dedicationis officio: ſcribo familiæ ſapienti:
hæc non optabit pingues Prælatorum Eccleſiæ ſucceſſiones: BÜRRESHEI-
MENSE *inclytum* STEMMA *per ſæcula ventura florebit, quod opto, ſat di-*
ves, ſi titulum illum non habuerit, quo ſolo poſſunt Conſanguinei Epiſ-
coporum participare de bonis eccleſiaſticis; dum modò, benedicente Nu-
mine, de prolibus ſuis egregios Eccleſiis donet Alumnos, ſuo tempore
infulis exornandos: Familia, quæ lucra rerum dominicarum appetit, au-

iam actu gemit sub paupertate, aut egestati se inscribit non emansuræ. Solutis itaque his, quæ me à dedicando avertere potuissent, EXCELLENTIÆ VESTRÆ *has modicas pagellas summo affectu proprias facio, dico, consecro in tesseram devotionis, quam, donec spiritus hos reget artus, illibatam conservabo, humillimæ. Et suis me gratiis porrò commendans profundo respectu persevero*

EXCELLENTIÆ VESTRÆ

Servus & vicinus humillimus, obsequentissimusque
M. H. L. HÜGEL.

§. I. EPISCOPORUM potestati subjecta bona, aut sunt *propria*, aut sunt *ecclesiastica*, quæ & *Res Dominicæ* vocabantur. *

* Hanc communem divisionem tradit S. THOMAS II. 2dæ, *quæst.* 185. *art.* 7. *in* ⊙; postquàm *art.* 6. præmiserat, licere Episcopis *proprium habere*; cùm *vivere ainque proprio* supererogationis sit, non cadens *sub præcepto*, sed *sub consilio*. Sanctissimum Remorum Episcopum *Remigium* possedisse proprium ex magnis *Clodovæi*, & Potentûm Franciæ donationibus, constat ex *Flodoardo* in *Hist. Rem. cap.* 14. & 18., ubi ejus testamentum. *Flodoardum* edidit J. *Sirmondus* S. J. Tom. 4. *Operum varior.*

II. Super *propriis* rebus condere pro libitu potuerunt Episcopi *testamentum*; non autem super *ecclesiasticis*. *

* Antiquissimus canon inter eos, qui dicuntur *Apostolorum*, quibusdam codicibus 39nus, plerisque 40mus, quem & retulit *Gratianus* in can. 21. XII. q. 1., „ *Manifestæ* sunto *privatæ res Episcopi*, si modò & *privatas* habet: *mani-* „ *festæ* item sunto *Dominicæ*; ut *privatas* quidem *res* Episcopus, cùm mo-

„ ritur, *quibus vult, & quomodo vult, relinquendi facultatem habeat*; ne-
„ que occasione *ecclesiasticarum rerum* intercidant *res Episcopi*; qui non-
„ nunquam uxorem, & liberos, aut cognatos, aut servos habet: justum
„ enim est apud Deum pariter & homines, simul ne *Ecclesia* per ignoratio-
„ nem *rerum Episcopi* damni aliquid sustineat, simul ne *Episcopus*, aut co-
„ gnati ejus, *prætextu Ecclesiæ* oblædantur. &c. Ad imitationem hujus canonis conceptus est canon 24. Concilii *Antiocheni* de anno 341., cujus *particularis* Concilii canones orbis pro *universalibus* veneratus est; *Manifesta verò sint, quæ pertinere videntur* ad Ecclesiam, *cum notitiâ Presbyterorum, & Diaconorum, qui circa Episcopum sunt, ita, ut agnoscant, nec ignorent*, quæ sint Ecclesiæ propria, *nec eos aliquid lateat; ut, si contigerit Episcopum migrare de sæculo*, certis existentibus rebus, quæ sunt Ecclesiæ, *nec ipsæ collapsæ depereant, nec*, quæ propria probantur Episcopi, *sub occasione* rerum *pervadantur* Ecclesiæ: *justum namque & acceptum est coram Deo, & hominibus*, UT SUA EPISCOPUS, QUIBUS VOLUERIT, DERELINQUAT; *&*, QUÆ ECCLESIÆ SUNT, EIDEM CONSERVENTUR. Collectio *Schannato-Hartzhemiana* Concil. German. Tom. I. pag. 160. Aliis iterum verbis eundem canonem refert ex *Martino* Bracarensi *Gratianus* noster cap. 20. XII. q. 1. Coincidit can. 48. Concil. *Agathensis* de an. 506., ibid. can. 19. relati: *Episcopi* de rebus propriis, vel acquisitis, vel quidquid de proprio habent, *hæredibus suis, si voluerint, relinquant. Quidquid verò* de provisione suæ Ecclesiæ *fuerit, sive de agris, sive de fructibus, sive de oblationibus, omnia* in jure Ecclesiæ reservare *censuimus*. Quapropter ejusdem *Agathensis* Conc. cap. 33. verba malè tradidit *Gratianus* in can. 34. XII. q. 2. sic: *Episcopus, qui filios, aut nepotes non habuerit, alium, quàm Ecclesiam, non relinquat hæredem*: Sed fons ita habet: *Episcopus, qui filios, aut nepotes non habens, alium, quàm Ecclesiam, reliquit hæredem, siquid &c.* Observaverunt hoc *Correctores Romani*, sed *ob glossam* textum malè positum non mutârunt: tanti verò non debuerat esse illa glossa.

III. Et ideò sollicitè præceperunt antiqui Canones, *annotari res proprias Episcopi*, & *res Ecclesiæ*, quas ipse administrabat; ne *qualitatum* oboriretur *confusio*. *

* Can. 45. XII. q. 1. Can. 6. caus. eâd. q. 5. Conf. cap. 13. dist. 28., ubi *Pelagius* ante ordinationem Electi Syracusani, uxorem, & filios habentis, exegit *cautionem, per quam & suam fateretur, quantula esset, præsentis temporis, habitâ rerum descriptione, substantiam, & nihil unquam per se, aut per filios, & uxorem, sive quamlibet propinquam, aut domesticam, vel extraneam fortè personam, de rebus usurparet Ecclesiæ, & universa, sui Episcopatûs quæsita tempore, Ecclesiæ suæ dominio sociaret, nihil ultra id, quoûmodò scriptum est, filiis suis, vel hæredibus relicturus.*

Adde leges *Visigothicas* lib. 5. tit. 1. cap. 2. Ut *mox Episcopus fuerit ordinatus, statim rerum inventarium de rebus Ecclesiæ, præsentibus quinque ingenuis viris, facere non moretur.* Afferenti autem, *esse rem Episcopi propriam*, incumbit probatio. *Concil. Antioch.* suprà relat. *Cap. 1. de testam.* Apud Treviros seriùs, id est, solummodò Sæc. XVI., mos denuò incepit, ut Archi-Episcopi haberent peculium privatæ dispositionis; nam *Gesta* MSS. *Trevirorum* de *Joanne* VII. Archiep., à *Schönenberg*, qui obiit an. 1599. sic memorant: *Habuit fratres tres ecclesiasticos, unum Episcopum Wormatiensem, alterum Præpositum Moguntinum, & tertium Archi-Diaconum Trevirensem; unum insuper secularem, Dominum de Hartelstein*, qui omnes morte eum prævenerunt, & hæreditatibus suis eum opulentum fecerunt. *Emit domum* zur Gold-Reben, *& illuc bona ista hæreditaria collocavit*, PRIMUS, QUI BONA FAMILIÆ ET PRIVATA AB ARCHI-EPISCOPALIBUS SEPARAVIT, ET SEORSIM ADMINISTRAVIT. Novit utique *Joannes VII.*, vir doctus, doctos amans, Rector Universitatis nostræ Magnificus, id Episcopo per leges, & canones licere. Praxin *Joannis VII.* hucusque secuti sunt Archi-Episc. omnes, qui res suas privatas non inferunt in sinum suæ sponsæ.

IV. Omnes res, quas Episcopus *ante suam consecrationem* habuit, reputabantur *res ejus propriæ*; quas verò *post consecrationem* nactus erat, censebantur *res ecclesiasticæ*; nisi constaret, eas Episcopo datas, aut quæsitas esse *potiùs personæ*, quàm *Sacerdotii*, & cohærentis huic *rerum Ecclesiæ communium administrationis*, intuitu. *

* Concil. *Carthagin.* III. an. 397. relat. à *Gratiano* in can. 1. XII. q. 3. *Placuit, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicunque Clerici*, QUI NIHIL HABENTES ORDINANTUR, *&* TEMPORE EPISCOPATÛS, *vel Clericatûs sui, agros, vel quæcunque prædia*, NOMINE SUO *comparant, tanquam* RERUM DOMINICARUM *invasionis crimine teneantur; nisi admoniti Ecclesiæ eadem ipsa contulerint. Si autem ipsis* PROPRIE *aliquid* liberalitate alicujus, vel successione cognationis, *obvenerit, faciant inde, quod eorum proposito congruit.* Conc. *Toletanum* IX. de an. 655., relatum ibid. can. 2., nec non can. 1. q. 4. *Quicunque de Sacerdotibus* (Episcopis, & Presbyteris) *vel Ministris* pro suî utilitate, vel amicitiâ, vel præstatione, aut *quocunque modo, aut per scripturæ seriem, aliquid meruerint à quolibet percipere*, in rebus Ecclesiæ non poterit numerari; *sed quod exinde voluerint facere, ipsorum voluntatis arbitrio subjacebit. . . . Sacerdotes, vel quicunque illi sunt*, quibus ecclesiasticarum rerum cura commissa est, *quæcunque* administrationis suæ tempore *emerint*, si de rebus propriis vel vile, vel parum habuerint, AD ECCLESIÆ NOMEN, *cui præsunt, chartarum consi-*

cere instrumenta procurent; non enim convenit, ut Ecclesia, quem suscepit extraneum, efficiat in alieno divitem, & in suo retineat fraudatorem. HI VERÒ, qui suarum rerum noscuntur habere compendium, *ex omni re, quam* post ordinationis suæ diem *visi sunt acquisisse, sive nulla, sive aliqua sint instrumenta confecta*, compensatione tam juris sui, quàm ecclesiasticarum rerum, habitâ, *si se utriusque quantitas exæquaverit*, inter Ecclesiam, & decedentis hæredes, *æquo jure conquisitio pertinebit.* S. GREGOR. M. relat. ibid. can. 1. q. 5. *Nulli dubium est, quia, sicut Sacerdotibus* res in Episcopatu acquisitas *nulla est alienandi licentia; ita* de his, quas antè habuerint, *quidquid judicare voluerint, non vetantur.* Conf. apud *Gratian.* can. 4. XII. q. 5., & in Decretal. *Gregor.* IX. cap. 1. *de pecul. Cleric.*, cap. 1. *de Testam.*

V. Præceptum hoc canonicum *lege publicâ* firmavit *Justinianus* Imp., tantâ primùm severitate, ut *nonnisi à proximè conjunctis personis data Episcopo* voluerit *esse res ejus proprias:* * posteà rigorem ipsemet correxit usque ad *data à consanguineis quarti gradûs.* **

* L. 24. §. 2. C. de Episc., lata an. 528. De *his verò* Episcopis, *qui nunc sunt, vel futuri sunt, sancimus*, nullo modo habere eos facultatem testandi, vel donandi, vel per aliam quamcunque excogitationem alienandi quid *de rebus suis, quas*, postquam facti fuerint Episcopi, *possederint, vel adquisierint, vel ex testamentis, vel donationibus, vel ex aliâ quâcunque causâ*; exceptis duntaxat his, *quas ante Episcopatum habuerunt*, ex quâcunque causâ, *vel quæ post Episcopatum* à parentibus, & thiis, hoc est, patruis, vel avunlis, & à fratribus, *ad ipsos pervenerunt, perventuræque sunt; quæcunque enim* post ordinationem ex quâcunque causâ, *extra præfatas personas, ad ipsos pervenerunt, ea jubemus* ad sanctissimam Ecclesiam, *cujus Episcopatum tenuerint*, pertinere, & ab eâ vindicari, & evinci, *nullâ aliâ personâ potestatem habente, ex eo in proprium quid auferre lucrum.* Hæc lex fundata erat in præsumptione, quòd aliæ personæ nihil darent Episcopo *suæ personæ* gratiâ, sed *Ecclesiæ*, ad usus pios: *Quis enim*, pergit lex, *dubitaverit, eos, qui ipsis proprias res relinquunt, aut reliquerint*, etsi in aliam personam transferunt, aut transtulerunt, *non potiùs ipsum Sacerdotium contemplantes*, quàm *ejus personam*, & cogitantes, *quia non solùm ab ipsis relictæ piè insument, sed & suas ipsorum res adjicient*, id fecisse.

** Animadvertit enim *Justinianus* posteà, nempè an. 541., excessum rigoris in hâc præsumptione, & exceptione datorum *à solis parentibus, thiis, & fratribus* Episcopi; hinc legem de anno 528. quidem in *Nov.* 131. *cap.* 13., ex quâ extracta est Authent. *licentiam* C. de Episc., innovavit, pari-

ter ſtatuendo: *Interdicimus ſanctiſſimis Epiſcopis*, res mobiles, aut immobiles, ſeſéque moventes, *quæcunque poſt Epiſcopatum ad eos quoquo modo pervenerint*, in proprios cognatos, aut alias quaſcunque transferri perſonas. *In* captivorum *verò* redemptionem, *&* egentium pabula, *&* alias pias cauſas, *aut* pro utilitate propriæ Eccleſiæ, *ex his expendere licentiam habeant*; & *quidquid ex hujuſmodi rebus poſt obitum eorum* in ipſorum facultate *remanſerit*, *jubemus hoc* ad proprietatem Eccleſiarum, quarum ſacerdotium habuerunt, *competere*: innovavit quoque *primam exceptionem* ſuprà dictam: *In illis ſolummodò rebus* licentiam alienandi, aut relinquendi, quibus voluerint, *damus*, *quas* ante Epiſcopatum *probantur habuiſſe*. Sed *ſecundam exceptionem* correxit, concedens liberæ diſpoſitionis licentiam *etiam in rebus poſt Epiſcopatum acceptis*, *quæ* ex genere ſibi conjuncto *ad Epiſcopos devoluta ſunt* ab his, quibus ab inteſtato uſque ad quartum gradum *ſuccedere poſſunt*.

VI. Adhuc rigoroſior *Juſtiniano*, cujus leges approbavit, * fuit S. *Gregorius M.*, qui tantummodò fecit diſtinctionenm inter bona *ante Epiſcopatum habita*, & bona *poſt Epiſcopatum quæſita*: hæc poſtrema, *ſine ſubdiviſione*, *vel exceptione*, ſimpliciter voluit pertinere ad Eccleſiam Epiſcopo deſponſatam. * *

* Quòd leges Juſtinianæas de illicitâ Epiſcoporum teſtamenti factione approbaverit S. *Gregor. M.*, probat ejus Epiſtola ad *Marinianum* Ravennæ Epiſcopum lib. 5. Epiſt. 1. in verbis narrativæ: *prohibente quippe lege*; & in verbis diſpoſitivæ partis: Ut *ea*, *quæ de Eccleſiâ ſuâ*, *vel de acquiſitis in Epiſcopatu rebus*, contra legum fieri ſtatuta *diſpoſuit*, *fraternitas veſtra nec authoritatem præbeat*, *nec aliquâ ratione conſentiat*. *Si quid autem de propriis rebus*, *quas ante Epiſcopatum habuit*, *quod quidem priùs Eccleſiæ ſuæ non contulit*, *fieri voluit*, *vel decrevit*, *firmum per omnia robur obtinere neceſſe eſt*.

** Quotquot ex *Gregorio* M. capitula hanc in materiam accepit Corpus juris canonici, unicè pro crinomeno habent, *an ſint bona ante*, *vel poſt Epiſcopatum acquiſita*. Vid. *can.* 12. XII. q. 2., *Can.* 1. XII. q. 5., nec non Cap. 1. de teſtam. *Niſi hoc ſolum*, quod eum ante Epiſcopatûs ordinem *proprium habuiſſe conſtiterit*. *Quicquid verò Eccleſiæ ante ipſius conſecrationem fuiſſe cognoveris*, *vel* in Epiſcopatûs ordine *prædictum Epiſcopum acquiſiviſſe*, *in ejuſdem Eccleſiæ dominio conſervetur*. Vide quoque *lib.* 3. *epiſt.* 36., & lib. 9. Epiſt. 14. *Et ab Epiſcopio te præcipimus ſine morâ recedere*, & quidquid prædictus pater tuus Epiſcopatûs ſui tempore Eccleſiæ *de proprio conſtiterit conquiſiſſe*; *quia & ſacris canonum legibus eſſe noſcitur diffinitum*, *ut in his*, *quæ*

Antistes Episcopatûs tempore *acquisiverit, non alius, nisi sola succedat Ecclesia.* Ejusdem sententiæ fuit *Pelagius*, antecessor *Gregorii* in cap. 13. dist. 28.

VII. Rigorem *Gregorianum* simpliciter, & absque distinctione ulteriore, tenuit *Francofordiense Concilium*; * pleraque verò alia inter *res Episcopi proprias* retulerunt *etiam eas*, quas is *absque prospectu Ecclesiæ* post consecrationem acquisivit: ** Et hoc prævaluit *jure Decretalium.* ***

* Anno 794. can. 41. Ut *Propinqui, vel hæredes Episcopi res, quæ ab Episcopo sunt acquisitæ, aut per comparationes, aut per traditiones*, postquam fuerit ordinatus, *nequaquàm post ejus obitum hæreditare debeant; sed ad suam Ecclesiam catholicè*, i. e. universaliter; *illæ autem*, quas priùs habuit, *nisi traditionem ad Ecclesiam ex eis fecerit, hæredibus, & propinquis succedant.* Secutus est eundem rigorem *Hincmarus* Remensis in suis Capitulis, datis pro instructione Magistrorum, & Decanorum, cap. 18. *Investigandum similiter, si nihil patrimonii habens, quando provectus est ad ordinem Ecclesiasticum, posteà emerit prædia, cujus juris sint; quoniam Ecclesiæ, ad quam de nihil habentibus promotus est, esse debent, juxta canonicæ authoritatis decretum.* Hunc textum malè tribuit S. *Raymundus*, Decretalium compilator, Concilio *Arelatensi* in cap. 1. *de pecul. Cleric.*

** Vide suprà §. IV. canones Concilii *Toletani*, & *Carthaginensis*, quod postremum adoptavit quoque Concilium *Moguntinum* de anno 847. can. 8. Collectio *Schannato-Hartzhemiana* Tom. 2. pag. 156. Idem sensit Concilium *Parisiense* VI., ex quo desumptum est *Capitulare* 327. lib. 5., nec non can. *fixum* 4. XII. q. 5., malè à Gratiano adscriptus *Concilio Hispalensi.* Sic autem habet: *Quoniam multi Episcoporum, amore propinquorum suorum, de rebus sibi commendatis suo, aut quolibet amicorum nomine prædia, & mancipia emunt, &, ut in propinquorum suorum jus cedant, statuunt, & ob hoc & jura ecclesiastica convelluntur, & ministerium sacerdotale fuscatur, imò à subditis detrahitur, & contemnitur, placuit omnibus, ut deinceps hoc avaritiæ genus caveatur, fixúmque abhinc, & perpetuò mansurum esse decrevimus, ut Episcopus* res sui juris, quas *aut ante Episcopatum*, aut certè *in Episcopatu hæreditariâ successione acquisivit, secundùm authoritatem canonicam*, quicquid vult, faciat, &, cui vult, conferat. *Postquàm autem Episcopus factus est, quascunque res de facultatibus Ecclesiæ aut suo, aut alterius nomine quâlibet conditione comparaverit, decrevimus, ut non in propinquorum suorum, sed in Ecclesiæ, cui præest, jura deveniant.* Et sub hâc limitatione accipienda sunt alia Capitularia, quæ dicunt simpliciter, Presbyteros, ante ordinationem pauperes, pro Ecclesiâ acquirere, utì Capitulare anni 744. 11mum; Capitulare anni circiter 793. 6tum, Capit. 150.

lib. 1. *Ut unusquisque Presbyter res, quas post diem consecrationis acquisierit, propriæ Ecclesiæ relinquat.* In eundem modum statuit canon positus ad calcem Concilii *Altheimensis* in Bavariâ *celebrati anno 916.*, cujus fragmentum est in *cap. 1. de success. ab intest.* Sed esse non potest canon hujus Synodi; quia subscripserunt *Hildebertus* Moguntinus, qui modò an. 930., *Ruotbertus* Trevir., qui an. 930. *S. Ulricus* Augustensis, qui an. 923. *Notingus* Constantiensis, qui an. 919. facti sunt Episcopi. Sic autem habetur in fonte: *De Episcopis, Presbyteris, & Clericis. Si hæreditatem* à Dom. Rege, vel ab alio Principe, vel amico suo, seu per hæreditariam sortem *sibi devenerit, vel acquisiverunt, donare eis liceat hanc, cui voluerint, dum vivunt, pro remedio animæ ad Ecclesiam, quamcunque elegerint, vel consanguineis, vel amicis suis.* Collectio *Schannato-Hartzhemiana* Tom. 2. pag. 916. Verba: *dum vivunt, donare*, explicat *Gonzalez* in d. cap. tam de *actibus inter vivos*, quàm *mortis causâ*; nec super hoc postremo dubitandum est; cùm res ejusmodi pleno jure sint Episcoporum, hique aliunde habeant testamenti factionem. *l. 1. C. Theod. de bonis Cleric. l. 20. C. de Episc.*

*** Cap. 9. de testam. *Clerici de his, quæ paternæ successionis, vel cognationis intuitu, aut de artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum, aut amicorum,* non habito respectu ad Ecclesiam, *pervenerunt ad ipsos, liberè disponere valent.* Adde cap. 12. eod.

VIII. Rigorem *Justinianæum* quoad factam distinctionem inter donata Episcopo *à propinquo*, & contrà *ab extraneo*, non tantùm *Agathense* Concilium an. 506. secutum est; * sed etiam *Innoc. III.* an. 1213. in *cap. 15. de Testam.* **

* Refertur à *Gratiano* in can. 3. XII. q. 3. *Pontifices, quibus in summo sacerdotio constitutis* ab extraneis *aliquid, aut cum Ecclesiâ, aut sequestratim* (seorsim) *aut dimittitur, aut donatur*, quia hoc ille, qui donat, *pro redemptione animæ suæ*, non *pro commodo Sacerdotis*, offerre probatur, non *quasi suum proprium*, sed *quasi dimissum Ecclesiæ, inter facultates Ecclesiæ computabunt.* Vide *Flodoardum* hist. Rem. Eccles. *lib. 2. cap. 5.*, ubi 27. canones, atque horum 22dus, qui mox descriptus à me est. Id quod *Innoc. III.* in *cap. 15. cit.* explicat, *nisi extraneus donator expresserit*, quòd velit illud tantùm esse Episcopi.

** Testator dixit: *relinquo istud Episcopo*: *distinguendum est, utrum relinquatur Episcopo* ab extraneo, *aut* propinquo. *Si* ab extraneo, *generaliter verum est, quòd præsumitur esse relictum* intuitu Ecclesiæ, *non* personæ... *si verò relinquatur illud Episcopo* à propinquo, *præsumitur esse relictum, non* intuitu

Ecclesiæ, *sed* personæ, *nisi fortè contrarium probaretur*. Per *propinquum* non intelligitur, hodie saltem, ad Justinianæi juris rigorem, *ad minus in 4to gradu consanguineus*; sed quicunque, etiam *remotior agnatus*, *cognatúsve*; imò verò, dimissâ hâc scrupulositate, & attento, quòd hi, qui donant, legántve *Ecclesiis*, rarò ponant *Episcopos* earum, sed potiùs nominent *ipsas Ecclesias*, præplacet in praxi regula Concilii *Altheimensis* suprà relati, quòd etiam *ab amico* donatum, relictúmque Episcopo, *nihil addendo*, *quòd in usus pios*, censeatur *persona* concessum. Ludovic. de *Hericourt* in *Analysi* ad d. decretalem *Innoc. III.* rectè ponit: *Hoc Decretum non servatur ampliùs.... cùm quid legatur alicui beneficiato, Ecclesia nihil ad hoc juris habet, nisi expresserit testator, legatum esse pro beneficio, & Ecclesiâ.* Hâc ratione Archi-Episcopi Germaniæ, præsertim S. R. I. Electores, & Episcopi Principes, multa ab Imperatore, Regibus, Com-Principibus, subditis, aliisve à se promotis, accipiunt eulogia, sive donaria benevolentiæ, amicitiæ, gratitudinis; quæ omnia *inter res suas privatas* sine scrupulo referunt indistinctè, licet ejusmodi dona non accepissent, nisi hanc Ecclesiam habuissent.

IX. Quanquàm verò Episcopis libera sit dispositio *super rebus suis privatis*; decet tamen eos, ut tam *in vitâ*, quàm *propè finem vitæ*, disponant super iisdem, *& faciant inde*, *quod eorum* PROPOSITO CONGRUIT, sicut ait Concil. *Carthagin. III.*, relat. in *can.* 1. *XII. q.* 3., i. e. res etiam proprias dispensent PIE. *L.* 24. §. 2. *in fin. C. de Episc.* in usum pauperum, atque egentium, in lucrum religionis. *l.* 2. *pr. C. eod.* in remedium animæ suæ. *

* Piorum Episcoporum hìc fuit *idem spiritus*, ut *etiam sua bona privata* PIE, AC RELIGIOSE pro Deo impenderent: sed non fuit *unus idémque* omnium *gustus quoad modum*, & executionem: *Alii* quippe consecrationis suæ tempore, quidquid habebant patrimonii, in Ecclesiæ, velut uxoris suæ spiritualis, sinum contulerunt, quem morem insinuant textus, suprà ex *Gregorio* M. adducti: *Alii* omnia sua erogabant pauperibus, ùt S. *Paulinus* Nolanus, *can.* 13. *XII. q.* 1., & *Germanus* Altisiodorensis, nihil, dum moriebatur, relinquens, quàm thecam SS. reliquiarum, pallium, tunicam, cingulum, byrrum, & cilicium. *Alii* bona præhabita, partim parentelæ suæ reliquerunt, partim pauperibus dederunt, ùt S. *Hilarius* Arelatensis. can. mox cit. Et S. *Ambrosius* Mediolan., de quo *Paulinus* in ejus vitâ: *Tempore, quo Episcopus ordinatus est, aurum omne, atque argentum, quod habere poterat, pauperibus, vel Ecclesiæ, contulit; prædia etiam, quæ habebat*, reservato usufructu Germanæ suæ, *donavit Ecclesiæ, nihil sibi, quod suum*

suum Vic diceret, derelinquens. Alii sibi in proprietatem oblata Episcopatûs gesti tempore mox distribuerunt in pauperes, aliósque pios usus converterunt, ut morientes non haberent, super quo facerent testamentum. Sic M. *Augustinus* Hippon. *testamentum nullum fecit, quia unde faceret, Christi pauper non habuit*, ùt ait coævus *Possidius* in ejus vitâ. *Joannes* eleëmosynarius, Patriarcha Alexandrinus, gratias egit Deo, quòd non superfuerit sibi morituro plus uno tremisse, i. e. 3tiâ parte unius aurei solidi, tunc jam sextularis, nempe $1\frac{1}{3}$. scrupulo auri; ultima voluntas sancti viri fuit, ut & iste tremissis esset pauperum. *Alii* verò Episcopi super rebus suis privatis condiderunt *pia testamenta*, de quibus mox in §. sequenti.

X. Supersunt in monumentis ecclesiasticis plura Episcoporum *testamenta*, condita *super rebus privatis*, seu patrimonialibus: * In his *aut nihil, aut longè minus*, quàm *ad pias causas*, legârunt suæ consanguinitati. **

* BRISSON. in formulis testamentorum pag. m. 655. refert testamentum *S. Remigii*; pag. 659. testamentum *Hadoindi* Cenomannicæ urbis Episcopi; pag. 649. testamentum S. *Gregorii* Nazianzeni in idiomate græco, sed hoc, sicut ait BARONIUS Tom. 4. pag. 603. num. 23. mendosum vehementer, & mutilum; quapropter SIRMONDUS S. J., infatigabili studio penetralia quæque bibliothecæ Vaticanæ perlustrans, invenit tandem in duobus antiquis Codicibus ejusmodi testamentum, quod contulit, emendavit, atque latinitati primus omnium tradidit, dedítque C. *Baronio*, qui illud edidit, & non solùm à carie, & tineâ, sed etiam ab objectionibus vindicavit (passim quippe de suppositione suspectum habebatur) illustravítque scholiis ibidem usque ad num. 47. Meminit quoque BRISSONIUS pag. 661. testamenti *Berthichranni*, Cenomannensis Episcopi.

** Apud *Flodoardum* lib. 1. Hist. Rem. cap. 9. legitur de *Bennadio* Remensi: *Hujus testamenti authoritate rerum suarum hæredem Remensem fecit Ecclesiam*, cum fratris sui filio. Ibidem cap. 18. Successor ejus S. REMIGIUS: *Quandoque ego Remigius Episcopus de hac luce transiero, tu mihi heres esto, sancta, & venerabilis Ecclesia catholica urbis Remorum, & tu, fili fratris mei, Lupe Episcope, quem præcipuo semper amore dilexi, & tu nepos meus, Agricola Presbyter, qui mihi obsequio tuo à pueritiâ placuisti*, in omni substantiâ meâ, quæ meâ sorte *obvenit, antequàm moriar.... Tu sancta hæres mea*, Remensis Ecclesia, *colonos, quos in Portensi habeo territorio*, vel de paternâ, maternâque substantiâ, vel quos cum fratre meo, sanctæ memo-

riæ Principio Episcopo commutavi, vel donatos habeo, *possidebis. . . . Necnon villas, agrósque, quos possideo in solo Portensi, Tudiniacum scilicet, & Balatonium, sive Plerinacum, & Vacculiacum, vel quæcunque in eodem solo Portensi quâlibet auctoritate possedi, integrè cum omnibus campis, pratis, pascuis, sylvis ad te* testamenti hujus auctoritate *revocabis: Vas argenteum triginta, & aliud decem & octo librarum*, inter te, Heres mea, & Diœcesim tuam, Laudunensem Ecclesiam, *factis patinis, atque calicibus ad ministerium sacrosanctum, prout volui, Deo annuente, distribui: aliud argenteum vas decem librarum*, (i. e. valens 100. modernos unciales Galliæ) *quod mihi sæpè nominatus Dominus, illustrisque memoriæ Hludovicus* Rex, *quem de sacro baptismatis fonte suscepi*, donare dignatus est, ut de eo facerem, quod ipse voluissem, *tibi Heredi meæ Ecclesiæ jubeo thuribulum, & imaginatum calicem fabricari.* Pecuniæ ad usus pios legavit nominatim *solidos* 168. i. e. totidem *sextulares aureos*, & 4. denarios; sive argenti *drachmas Atticas* 3361$\frac{1}{4}$., quæ faciunt *nostrates zygostaticas drachmas* 2701., sive unciales Galliæ hodiernos 337$\frac{5}{8}$., quemlibet solidum computando pro 40. denariis *Salicis*, 13$\frac{1}{3}$. *Romanis.* Si nunc his addas terras, Ecclesiis diœcesanis, & parochialibus provinciæ Remensis, nec non Matriculis pauperum, specialiter legatas, hisque compares ea, quæ suis consanguineis dedit S. *Remigius*, posteriora longè minora invenies. De *Sonnatio*, pariter Remensi Episcopo, scribit *Flodoardus* pag. 75. editionis Sirmondicæ: *Testamentum quoque* rerum suarum *condidit, in quo plura* diversis *donaria contulit* Ecclesiis: BASILICAM *tamen* B. Remigii *præcipuè sibi* HÆREDEM *instituit, ubi & sepulturam se habiturum delegit; ibique missorium argenteum deauratum deputavit, cochlearia quoque duodecim, & salarium argenteum, ac portionem suam de villari quodam cum mancipiis, vineis, pratis, cæterisque adjacentibus, & alia nonnulla, quæ se dato pretio meminit comparâsse*: deinde recenset *Flodoardus* legata plurima aliis Ecclesiis, matriculis, & congregationibus, relicta à *Sonnatio*; demùm subjungit: *Quibusdam hæredum quoque suorum personis prædia quædam eo tenore dereliquit, ut ad loca Sanctorum à se destinata post eorum reverterentur decessum.* De S. *Rigoberto* pag. 84. scribit: *Res istas, & cætera, quæ visus est obtinuisse, nullo mundanæ cupiditatis impetravit obtentu; sed* Ecclesiæ suæ *in cunctis consulens utilitatibus*, illam *constituit* hæredem; *plures etiam rerum suarum participes fecit Ecclesias.* Si legas testamentum *Hadoini*, Cenomanensis Episcopi, de an. 642., videbis *Ecclesiam matrem hæredem*, alias Ecclesias *legatarias*, *Bodilonem* parentem unius loci usufructuarium. Lege quoque testamentum *Gregorii Nazianzeni*, & Ecclesiam reperies hæredem in plurimâ parte patrimonii ejus, in minori, ac certâ re cohæredem *Gregorium* diaconum cum *Eustathio* monacho; propinquos, affines, amicos legata modica accepisse. *Didierius* Cadurcensis Episcopus totam hæreditatem suam an. 648. ad Ecclesiam transmisit. *Le Cointe* ad an. 648. num. 26. *Perpetuus* Turonen-

fis de paternis, atque hæreditariis rebus hæredes suos scripsit pauperes, præter legata pia plurima. Testamentum edidit *d'Acheri* in *Spicileg.* Tom. V. pag. 105. ALBERO Trevirensis, qui obiit an. 1152., testamento facto nihil planè propinquis reliquit; sic enim scribunt *Gesta Trevirorum* Prodromi Hist. dipl. Trevir. Tom. II. pag. 781. *Nunc quale ordinaverit testamentum, quàm brevius potero, explicabo. Thure curiam, quam ipse pecuniâ emit à Comite de Nisberg, fratribus dedit Ecclesiæ S. Petri Trevirensis, ut in anniversario ejus refectionem inde habeant. Patrimonium suum Sule, & curiam Bredal Ecclesiæ prædictæ contulit tali dispositione, ut Crux inaurata, quam tempore guerræ decrustaverat, de reditibus ejus repararetur, & quædam ornamenta, quæ oppignoraverat, restituerentur, & deinceps in perpetuos usus fratrum cederet.* ARNOLDUS Trevirensis, anteà Præpositus Coloniensis, vir nobilis, multisque divitiis præpollens, cùm anno, 1169. pervenisset ad hanc insulam, invenissétque terram totam præteritis rapinis, incendiis, atque cædibus hominum à diebus *Alberonis* adhuc tabescere, & Barones terræ circa Ecclesiarum dispendia ex pravâ consuetudine quasi per licentiam insolescere; non solùm magnorum numerum largitiones ex propriis fecit, ut Nobiles terræ ad bonum pacis persuaderet, dicens: *ad hoc volo largitione facultatum mearum insolentiam violentorum reprimere, ut eos, qui & inferunt, & eos, qui patiuntur calumniam, redimam, quos Christus dignatus est suo sanguine redimere;* non solùm quoque primis statim prælationis suæ temporibus Ecclesias circuivit, *& eas ferè omnes propter mala, quæ tempore Alberonis contigerant in terrâ, desolatas, & ære alieno oppressas inveniens, ita juxta uniuscujusque qualitatem eis de suâ substantiâ erogavit, quòd in brevi eas à debitis expediens ad pristinum statum reparavit*; sed etiam in fine vitæ suæ tam largas eleëmosynas Ecclesiis delegavit, ut *ad duo millia marcarum* (sunt 14988. unciales moderni Galliæ) *sint computata, quæ ab eo in eleëmosynam quibuscunque Ecclesiis sunt erogata.* Ibid. pag. 785. seq. Hæc sola industriâ Abbatum, *Ludovici* ad S. Mathiam, & *Gisilberti* de Hemmerodio, sunt salvata, reliqua omnia auferri jussit Imperator *Fridericus* per Nuncios suos; nempe *hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus.* Can. 8. XVI. q. 7. Rara exempla sæculis recentioribus occurrunt, saltem per Germaniam, quòd Episcopi, disponentes super rebus sibi propriis *plus contulissent Ecclesiis, ac pauperibus, quàm propinquis, & amicis*; propter quod marmore dignus est excelsus cogitatus Srmi, ac gloriosæ mem. *Clementis Augusti*, Archi-Episcopi Coloniensis, de Domo Bavaricâ, qui initio hujus anni in Palatio Trevirensi vallis *Ehrenbreitstein*, summo cunctorum luctu, viator decessit, *facto testamento*, etiam commonitus cogitare propinquos, hæredem sui amplissimi, patrimonii, immobilis terrarum considerabilium, & mobilis rarissimi, solutis debitis adhuc ad sex milliones imperialium æstimati, instituit *Archi Episcopalem dignitatem*, præter eleëmosynas diversis Ecclesiis, Monasteriis, atque pauperibus legatas.

Sic *etiam in sterilibus sæculis* aliquando renascuntur, disponente Deo, *pia exempla veterum Episcoporum*, testantium super rebus, in quibus ab intestato successissent propinqui sanguinis: erubescat hinc nocivus Ecclesiis, & animabus *nepotismus*.

XI. Quam in rem est Angelica doctrina S. *Thomæ Aquinatis*, docentis quidem, *Episcopos propriorum bonorum verum habere dominium*, ita, ut malè erogando eadem *ad restitutionem* obligentur nemini; sed *peccare illos posse propter inordinationem affectûs.* *

* Verba S. Doctoris merentur apponi ex II. 2dæ, q. 185. art. 7. in ⊙. *Respondeo, dicendum, quòd aliter est dicendum* de bonis propriis, *quæ Episcopi possidere possunt*, & de bonis ecclesiasticis; *nam* propriorum bonorum *verum dominium habent; unde* ex ipsâ rerum conditione *non obligantur, ut ea aliis conferant, sed possunt ea* vel sibi retinere, vel etiam aliis pro libito elargiri. *Possunt tamen in eorum dispensatione peccare* propter inordinationem affectûs, *per quam contingit, vel, quòd sibi plura conferant, quàm oporteat, vel aliis etiam non subveniant*, secundùm quod requirit debitum charitatis: *non tamen tenentur ad restitutionem; quia hujusmodi res sunt eorum dominio deputata.*

Additio. Affectûs *inordinatio* plerumque tentat Episcopos *ex studio locupletandi propinquos*; huic morbo discretâ resolutione *ibid. ad* 2. occurrit Doctor idem Angelicus: *Si de eo*, inquit, *quod usui Episcopi, vel alicujus Clerici, est deputatum, velit aliquis sibi subtrahere, & consanguineis, vel aliis dare, non peccat*, DUMMODÒ ILLUD FACIAT MODERATE, *i. e.*, UT NON INDIGEANT, *non autem*, UT DITIORES INDE FIANT; idque probat authoritate S. *Ambrosii* relati à Gratiano in cap. 16. dist. 86. *Est probanda illa etiam liberalitas, ut* PROXIMOS SEMINIS TUI *non despicias*, SI EGERE COGNOSCAS: *melius est enim, ut ipse subvenias tuis, quibus pudor est ab aliis sumptum deposcere, aut alicui postulare subsidium necessitati*; NON TAMEN, UT ILLI DITIORES EO FIERI VELINT, QUOD TU POSSES CONFERRE INOPIBUS. . . . NEQUE ENIM PROPTEREA TE DOMINO DICASTI, UT TUOS DIVITES FACIAS, *sed, ut vitam tibi perpetuam fructus boni operis acquiras*: *putant* (propinqui tui) *se parum poscere, pretium tuum quærunt, vitæ tuæ fructum adimere contendunt, & accusant, quòd eos divites non feceris*; *cùm te illi velint æternæ vitæ fraudare mercede.* Ita fecit S. *Augustinus*, de quo *Possidius* in ejus vitâ: *Nec suos* CONSANGUINEOS, *vel in proposito, vel extra, constitutos, in suâ vitâ & morte* VULGI MORE *tractavit, quibus dum adhuc esset superstes, id*, SI OPUS FUIT, QUOD ET COETERIS, EROGAVIT; *non*, UT DIVITIAS HABERENT, *sed*, UT AUT NON,

AUT MINUS, EGERENT. Docuit de præterito, docétque de præsenti sæculo experientia, non diu mansisse apud illustres familias abundantiam, ex opibus Episcoporum *carnaliter testantium*, vel in vitâ *multum nimis donantium*, partam; sive defluxionem taliter acquisitorum celerem attribuas defectui benedictionis cœlestis, sive moralibus, ac naturalibus causis, perinde est: Episcopales opes vix ad tertiam generationem, sæpè vix ad secundam perveniunt; id quod generaliter de opibus Clericorum in Laicos collatis attestantur Scriptores.

XII. Ad *res* Episcoporum *privatas*, *proprias*, atque *patrimoniales* retulit quoque S. THOMAS illa bona, quæ quidem *ab Ecclesiâ dante* proficiscuntur, atque propterea à Canonistis vocantur *profectitia*, attamen *juxta canonicam divisionem* * in usum Episcopi cedere debent: *de his autem*, inquit loc. cit., *quæ sunt* SPECIALITER *suo usui* DEPUTATA, *videtur esse* EADEM RATIO, *quæ est de* BONIS PROPRIIS; *ut scilicet* propter immoderatum affectum, & usum *peccet quidem, si immoderatè sibi retineat, & aliis non subveniat, sicut requirit debitum charitatis.*

* Postquàm *Doctor Angelic.* diviserat bona Episcoporum *propria* ab *ecclesiasticis*, eósque priorum *veros dominos*, posteriorum *dispensatores*, *vel procuratores* renunciaverat, subjungit textum Apostoli 1. Corinth. 4. *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut* FIDELIS *quis inveniatur*, concludens exinde, *ad dispensationem requiri* BONAM FIDEM: hæc juxta ipsum aderit, si Episcopus de reditibus Ecclesiæ, vel oblationibus fidelium faciat *illas quatuor portiones*, de quibus ordinat *can.* 28. *XII. q.* 2., & deputat Episcopo *unam quartam*: solummodò tunc *infidelem* dicit fore Episcopum, siquid sibi de *tribus quartis reliquis* indebitè attribueret: *Si ergò* DISTINCTA *sint dona*, QUÆ DEBENT IN USUM EPISCOPI CEDERE, *ab his*, QUÆ SUNT PAUPERIBUS, & MINISTRIS, & CULTUI ECCLESIÆ, *eroganda*, *& aliquid sibi retinuerit Episcopus* DE HIS, *quæ sunt* PAUPERIBUS *eroganda*, *vel etiam* IN USUM MINISTRORUM, *aut in cultum divinum expendenda*, NON EST DUBIUM, *quin* CONTRA FIDEM DISPENSATIONIS *agat*, *&* MORTALITER PECCET, *&* AD RESTITUTIONEM *teneatur*. *De his autem &c.* ùt suprà in hoc §pho.

XIII. Et huic doctrinæ inniti potest illa praxis complurium *Episcoporum Germaniæ nostræ*, quâ *super suo*, quod vocatur, *peculiari de-*

putato liberè disponunt, sive *inter vivos*, sive *mortis causâ*, quin peccent *contra justitiam*; * quamvis S. THOMAS à *testamenti factione* super talibus bonis abstrahat.

* Episcopi Germaniæ, sicut & alii plerique, nihil hodie 1.) *communis rei* dividendum habent cum *Canonicis*, *Clericisque suis*, *aut Ministris Ecclesiarum*, separata pridem sunt bona *domanii*, *mensæ*, seu *Cameræ* Episcopalis, die Domainen, Tafel-oder Cammer-Güter, à bonis Cathedralium *Capitulorum*, aliorúmque de Diœcesi Collegiorum, atque Beneficiorum: Nihil quoque 2.) commune habent cum *fabricis ecclesiasticis*, utpote quæ vel proprio fundo gaudent, vel respectivè ex *ærario Camerali*, quà *decimatore*, vel *proprietario* ædificiorum, nutu Episcopi, procurantur. Nihil 3.) commune habent dividendum *cum pauperibus*; quia *Deputatum Episcopi* datur *Episcopo soli*, non *Episcopo*, *& pauperibus*, quibus proinde *ærarium Camerale* largitur eleëmosynas, assignante Episcopo. Nihil denique 4.) Multi Germaniæ Archi-& Episcopi, velut *Moguntinus*, *Trevirensis*, *Wormatiensis*, *Spirensis*, *Herbipolensis*, *Bambergensis &c.* commune dividendum habent *cum suâ dignitate*; hujus enim reditus, & bona manent in sæpè dicto *ærario Camerali Episcopatûs*, & fiunt desuper *separati computus*. Retinuerunt itaque Episcopatus Germaniæ plerique primitivum schema Ecclesiæ: sunt *administratores*, non *domini*, bonorum *Cameralium*, sæpè cum uno de canonicis majoris Ecclesiæ, Cameræ Episcopalis post Episcopum Præsidente, qui similitudinem *prisci* Ecclesiæ *œconomi* gerit: victum, atque vestitum pro se, & aulâ suâ, unà cum salariis accipiunt *ex Cassa Cameræ*: omnia cimelia, quæ extra-vel intra Ecclesiam portant in corpore suo, vasa quoque, & suppellex domûs procurantur exinde, súntque *Episcopatûs*, des Stifts, non *Episcopi*, propria.

Hoc unum videtur *contra morem primitivæ Ecclesiæ* successu temporis adjectum esse, quòd Episcopus *ultra necessaria victûs*, *vestitûs*, *hospitalitatis*, *& eleëmosynarum*, accipiat annuè *ex thesauro Episcopatûs* aliquod *Deputatum in pecuniis*; non enim videntur Episcopi tale quid antiquitùs habuisse; Concilio *Antiocheno*, cujus canones pro generalibus, ùt jam suprà dixi, recepti sunt, *cap.* 25. volente, *eos contentos fore victu*, *& amictu*. Can. 23. XII. q. 1., & Canone *Apostolorum* 41mo nihil *compendii* ex thesauro Ecclesiæ Episcopis adjiciente, sed solummodò *nihil omninò illis deesse* præcipiente *ex iis*, *quæ indigent ad suas necessitates*, *& peregrinorum fratrum usus*. Verùm hic rigor veteris disciplinæ temperari potuit, sicut multi alii, ut Episcopo *pro ingenti labore*, *ac curâ*, non tam sacrâ *Episcopali*, quàm *Principali territoriali*, & S. R. Imperii *publicâ*, ultrà necessitates exhibeatur quoque ab Ecclesiâ annuè *aliqua consolatio*, *atque remuneratio*; ne multi

fugerent munus tanti oneris, si cum S. *Augustino* ùt pauperes Christi vivere ac mori deberent. Ipsa *Ecclesia*, primitùs pauper, posteà conquisivit opes, & sollicitè conservat, *can.* 13. *XII. q.* 1., cur Episcopo Principi nihil ultra victum, vestitum, ac servitium dare vellet? Sanè nullus aulæ Minister, nullus Consiliarius, nullus Officialis, aut Vasallus, imò nullus famulus, aut cocus facilè servit Ecclesiæ in re certâ *pro solo victu & vestitu*; cur ergo Episcopus Princeps, cui omnium Dicasteriorum, & Officiorum labor ingruit universalis?

XIV. Supererogatoria igitur cautela esset alicujus Episcopi Germaniæ, *suum Deputatum*, separatis Cameræ Episcopalis rationibus, *habentis*, à Domno Apostolico petere *licentiam desuper testandi*: * Quoniam hoc non est necessarium, neque ad arcendum à bonis Episcopi derelictis *Collectores Cameræ Apostolicæ*, sicut per Italiam, neque ad valorem testamenti, neque ad salvandam conscientiam. **

* De hâc materiâ fusè tractat ad gustum, & principia Curialistarum PYRRHUS *Corradus* in *Praxi dispensat. Apostol. lib.* 10. *cap.* 1. 2. 3. *&* 4., ubi habetur talis dispensationis formula cum clausulis minutissimis. STRYCKIUS in appendice tractatûs *de Cautelis testamentar.* num. 10. dedit bullam dispensationis pro *Jodoco Edmundo* L. B. à *Erabeck*, Episcopo *Hildesiensi*, satis adhuc recentem, nempè de anno 1691. Sed vix dabuntur plura recentiora exempla Episcoporum Germaniæ.

** Apud *Germanos* nunquam recepta est Bulla *Pauli* III. de anno 1552., quæ habetur in septimo Decretal. lib. 3. tit. 3. *de Spoliis Cleri orum*, unà cum constitutionibus *S. Pii* V. & *Gregorii* XIII., per quam declaratur, *Res*, *& bona hujusmodi*, spolia *nuncupata*, in quibusvis regnis, ac dominiis, tam citra, quàm ultra montes, & maria *consistentia*, *quæ pro tempore post obitus Prælatorum*, *& personarum aliarum*, quantumcunque etiam, vel quomodolibet qualificatarum, etiam Cardinalatûs honore fulgentium, *qui vel nullo condito testamento*, vel absque sufficienti facultate, aut ultra quantitatem, de quâ facultatem habuerint, condito, *decesserunt*, *decedent*, *remanserunt*, *remanent*, *& remanebunt*, *etiam quòd ad illa recuperandum aliqui Collectores deputati non fuerint*, ad Cameram Apostolicam, *& non ad alios &c. spectare.* Unde *propter Cameram Apostolicam* non est opus hâc licentiâ testandi. Sed nec *propter valorem testamenti*; cùm *super bonis propriis* Episcopus possit condere testamentum; hujus autem generis est sic dictum *Deputatum* Episcoporum Germaniæ, utpote quod non tam est *fructus beneficialis*, quàm *merces diurni nocturnique laboris* in officio Principis *sacu-*

lari: meretur hanc longè magis *Princeps*, quàm *Consiliarius*, vel *Ministerialis* Ecclesiæ, de quo postremo tamen S. *Gregor.* M. in *can.* 67. *XII. q.* 2. dicit: *Ecclesiasticis utilitatibus desudantes Ecclesiasticâ dignum est remuneratione gaudere.* Facit *can.* 45. *XII. q.* 2., ubi idem Papa jubet, ut *Visitator* viduatorum Episcopatuum, *unà cum Clericis*, aliquod ex Ecclesiâ capiat subsidium: *justum namque est, ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium*: quidni Episcopus Princeps, Ecclesiæ toto anno deserviens in curis plurimis, aliquid ultra alimenta consequatur jure veræ proprietatis? Si ergò *piè, ac religiosè* super hoc testetur Episcopus, licitè ac validè procedit: si *contra sanctitatem Statûs sui*, vix est, ut præcisè eum salvet coram Deo dispensatio.

XV. Ab *illis* autem *Episcopis*, qui non habent duntaxat moderatum *Deputatum*, sed *omnes Episcopii reditus indistinctim* & *integraliter percipiunt*, sicut Archi-Episcopus *Coloniensis*, & alii per Belgium, Galliam, Hispaniam, Italiam, aliásque terras; consequenter *portionem* sacrosanctarum fabricarum, & pauperum *fidei suæ commissam* tenent, ab istis, inquam, exigit Deus, & Ecclesia, ut sint *in suâ dispensatione* FIDELES; * quando etiam de consuetudine terræ suæ *pro foro externo* possent super *profectis ab Ecclesiâ* condere testamentum *quomodolibet*, ad usus quoque *profanos*. **

* Nam tales Episcopi, licet suum Deputatum separaverint à Deputato *Canonicorum*, *& reliqui Cleri*, non tamen separaverunt illud à deputato *fabricarum*, *& pauperum*: dispensatores igitur, & *administratores* eatenùs sunt *massæ, respectivè adhuc communis, & indivisæ*, quam ipsi *in timore Domini* dividere debent, sicut docet S. *Thomas II.* 2dæ q. 185. art. 7. in ⊙ *si verò non sunt prædicta bona distincta, eorum distributio fidei ejus* (Episcopi) *committitur*: *Et, si quidem* in modico *deficiat, vel superabundet, potest hoc fieri absque bonæ fidei detrimento*; quia non potest homo in talibus punctualiter accipere, quod fieri oportet: *Si verò sit* multus excessus, *non potest latere*; *unde videtur bonæ fidei repugnare*: *& ideò non est absque peccato mortali.* Quam ob rem *in Hispaniâ* consuetudinem non esse, ut *Episcopi* de talibus bonis *absque licentiâ summi Pontificis* possint testari, licet in totâ Hispaniâ vigeat consuetudo generalis, ut *inferiores Clerici* de omnibus bonis, *intuitu Ecclesiæ quæsitis*, tam ad pias, quàm ad profanas causas, possint testari, scribit *Covarruvias* in cap. 7. *de testam.* num. 23. & post eum *Grammanietto* in *cap.* 1. *eod. num.* 9., utique ex ratione jam insinuatâ; quia *Clerici* habent suum deputatum, quod non præsumitur excedere honestam sustentationem;

tationem; *Episcopi* autem trahunt ibi *omnes* Ecclesiæ suæ proventus *universim*, eosdémque maximos.

** Per Galliam non tantùm *inferiores Clerici*, sed etiam *ipsimet Episcopi*, absque Romanâ testandi licentiâ, super bonis prospectu Ecclesiæ acquisitis testantur; id quod tradit COVARRUVIAS, & GIBERT *tract. de Contract. & testam. tit.* 4. *Sect.* 2. *num.* 37. his verbis: *In regno Galliæ consuetum est, & publicè, ac notoriè observatum, & per Ecclesiam toleratum, Episcopos, ac cæteros beneficiatos, posse de fructibus suarum dignitatum, & beneficiorum, ac de bonis, per eos nomine proprio acquisitis, testari, & aliàs inter vivos, vel causâ mortis, sicut laici de suis bonis, liberè disponere, prout dietim faciunt.* Sed paulò post *tit.* 8. *sect.* 4. *regul.* 4. *num.* 13. GIBERTUS suam mentem aperit de istâ consuetudine, nempè, quòd hoc transeat *quoad forum externum*, sive sæculare, sive ecclesiasticum, non autem *pro foro interiore.* Ego autem consuetudinem, quâ Episcopus moriens testamento disponit *super omnibus sui Episcopatûs proventibus* residuis laudo *ut rationabilem*; quia per eam dispergitur aurum Ecclesiæ, *quod Ecclesia habet, ut eroget, non, ut servet*, sicut dicit S. *Ambrosius* in *can.* 70. *XII. q.* 2., & non modicum pervenit ad pauperes, sive immediatè, sivè mediatè; dum econtra in locis, ubi Episcopus non potest super aliis, quàm *sui Deputati*, rebus disponere, in morte ejus non dispergitur satis thesaurus Ecclesiæ, pauci consolationes, & eleëmosynas accipiunt ex eo, solus Successor in Episcopatu cum charis jucundatur ex Camerâ, quam reperit in muneris sui introitu locupletem. Quòdsi verò decedentes Episcopi, *totius thesauri mobilis suæ Ecclesiæ*, i. e. fructuum, *potentes*, nihil pro Ecclesiâ, nihil pro cultu Dei, nihil pro stipe pauperum, vellent ordinare, *omnia pro locupletandâ familiâ suâ*, idque prætextu *consuetudinis*, hoc, tanquam *Spiritui SS. Canum inimicum*, pro foro interiore non possem approbare; cùm non tantùm esset *inordinatus affectus*, sed etiam *injustitia*, restitutionis onus post se trahens, *propter malam distributionem rei adhuc respectivè communis*, ex quâ jus compartitionis habebat *cultus Dei*, & *corpus pauperum.*

XVI. Ultimò videamus, an non sit æquum, & rationabile, ut ordinatio *Episcopi Germani*, qui nonnisi super *deputato*, *aliisque donis*, & *acquisitis extrinsecis*, testamento disponere potest, defacto autem in ultimâ suâ voluntate *etiam super thesauro mobili Cameræ Episcopalis*, quam ope, parsimoniâ, industriâque suâ valdè *locupletem* reddidit, & reliquit, considerabilia legata fecit purè *in usus pios*, & *cultûs divini augmentum*, sit à Capitulo interim-regnante, aut Successore,

executioni danda, quatenùs saltem hæc ultima dispositio pecuniæ, quam ordinariè debet in parato habere Camera ad erogandum, non præjudicat? Casus non est fictus, sed factus in Germaniâ ad Rhenum anno 1743. Ad quod respondeo *affirmativè*, quid pro *scholâ* sentiam, proponens, quod aliter practicatur, non taxans. *

* Moveor 1.) Quia Episcopus de jure certo habet potestatem, per actus, & fundationes *inter vivos* ex *superabundanti thesauro mobili suæ Camera* disponendi ad cultum Dei, usus pauperum, & opera Religionis, prout vult; cur id negetur ei in extremis constituto per testamentum, contra æquitatem *l. 1. in fin. C. de sacrosanct. Eccles.*? Moveor 2.) Quòd sæpè posset contingere, bonos, atque laudabiles fines, propter quos tantum thesaurum Cameræ mobilem coacervaverat Episcopus, à morte præveniente interverti, si, quod per actum inter vivos non sit peractum, testamento peragere non liceret. Moveor 3.) Quòd SS. Canones non sint in contrarium, sed magìs faveant piis Episcoporum dispositionibus testamentariis, quæ faciunt absque damno Ecclesiæ suæ: Canon Ilerdensis, in Gratiano *cap.* 38. XII. *q.* 2. res ecclesiasticas à successore Episcopi mandat impendi, *prout decessor suus ordinavit, vel Deus imperabit.* Canon 46. eâd. caus. & quæst. jubet *Episcoporum deficientium res* (non utique proprias, sed ecclesiasticas) *per Archipresbyterorum, vel Archidiaconorum manus, aut* SECUNDÙM MORTUORUM JUDICIUM *pro ipsorum salute in eleëmosynas dispensari, aut successori, qui futurus est, reservari.* In *can.* 3. *XII. q.* 4. *S. Gregorius M.* tantùm irritavit testamentariam ordinationem *Joannis* Ravennæ Episcopi, favore noviter à se fundati Monasterii factam, quatenùs ordinâsset aliquid per testamentum *in damnum suæ Ecclesiæ*: Neutiquam, & nullibi prohibetur, quò minùs Episcopus moriens decernat de rebus sui Episcopatûs *in bonum suæ Ecclesiæ*: imò verò Ecclesia *Cathedralis* semper habet potius jus, quàm *Camera Episcopalis*, utpote quæ plerumque ad usus profanos impendit residua.

XVII. Neque mea resolutio destituitur piæ antiquitatis praxi. *

* S. *Remigius* in suo testamento determinavit futuros usus ingentium bonorum, ab aliis suæ Ecclesiæ relictorum: *Simili modo, sanctissima Heres mea, quacunque tibi à propinquis, & amicis meis, in quocunque solo, & territorio collata sunt, sicuti disposuero in Ptochiis, Cœnobiis, Martyriis, Diaconiis, Xenodochiis, omnibúsque Matriculis sub tuâ ditione degentibus*, ordinationem meam futuri successores mei, ordinis sui memores, sicut ego prædecessorum meorum, ita quoque inconvulsè, & absque ullâ refragatione serva-

bunt. *Ex quibus* Celtus, *quem per manum meam Celsa sobrina mea tibi tradidit, & Huldriaca villa, quam Huldericus Comes*, EI LOCO, *ubi ossa mea sancti fratres & Coëpiscopi diœceseos tuæ ponenda elegerint*, in tegumentis deserviant. *Sitque locus ille* successoribus meis, *Remorum Episcopis*, peculiariter proprius, *& in alimoniis ibidem Deo militantium. . . Blandibaccius villa in Portensi, quam à cohæredibus meis, Benedicto, & Hilario* datis pretiis emi de thesauro Ecclesiæ, *& Albiniacus* ex Episcopio, *in alimoniis* Clericorum Remensis Ecclesiæ communiter deputetur, *quibus etiam Berna* ex Episcopio, quæ peculiaris prædecessoribus meis esse solebat, *cum duabus villis, quas Ludovicus à me sacro baptismatis fonte susceptus, amore nominis mei* Piscofesheim *suâ linguâ vocatas, mihi tradidit, sive cum Goslo, & Gleni, vel omnibus sylvis, pratis, pascuis, quæcunque per diversos ministros in Vosago infra, circum, & extra, tam ultra, quàm citra Rhenum, pretio dato comparavi*, picem annuatim ministret, cunctisque locis regularibus, *tam à me, quàm ab Antecessoribus meis, ordinatis, sive in futuro ab Episcopis successoribus meis ordinandis, pro necessitate locorum*, ad vascula vinaria componenda annuatim distribuat. . . . *Sparnacus villa, quam datis quinque millia libris ab Eulogio comparavi. . . .* dato jam dicto pretio de thesauris tuis, . . . *perpetualiter tibi ad restituendum thesaurum*, stipendiisque tui Pontificis, *deserviat.* Res *etiam, quas sæpè dictus Rex, piissimúsque Princeps* Tibi *in Septimaniâ, & Aquitaniâ concessit, & eas, quæ in Provinciâ Benedictus quidam*, . . . ad usum luminis tui, & loci, ubi corpus meum jacuerit, continuatim deservire præcipio, *villásque in Austria, sive Toringâ.*

Memorabile quoque est judicium Concilii *Toletani* X. de an. 618., præsidente *Eugenio* Toletanæ Sedis Metropolitano super testamento *Recimiri* Ecclesiæ Dunilensis Episcopi, quo non solùm *super propriis*, sed etiam super *thesauro Ecclesiæ* disposuit; quoniam verò citra necessitatem nimis evacuaverat illum, conquesti sunt propter nimietatem profusionis extremæ Clerici Dunilenses: Concilium noluit cassare *totum testamentum*, in quantum disposuit *de thesauro Ecclesiæ*; sed moderatum est: *Ducti sumus tam rationis intuitu, quàm paternarum sanctionum dicto*, ipsius testamenti seriem, etsi non usquequaque in irritum devocare, *in quodam tamen rationabili authoritate temperamento deducere; scilicet, quia tantorum dispendiorum damnis, à memorato Ricimiro Episcopo factis, res Ecclesiastica dignoscitur subjacere, omnis res ejus, quam indelegatam reliquit pauperum nomini, tamdiu Dunilensi Ecclesiæ plena deserviat facultate, donec omne hoc damnum, quod in utensilibus domûs sustinuit, valeat evidentiùs reparari: at tunc completâ restitutione damni, observetur, sicut decreta est series testamenti &c.* Tom. I. Conc. edit. Colon. an. 1530. fol. 119. verso.

S. *Fulgentius*, Ruspensis in Africâ Episcopus, propè mortem requisivit ab œco-

nomo Ecclesiæ summam facultatum Ecclesiæ, totámque jussit expendi pauperibus, per seipsum recolens memoriter nomina indigentium; insupérque Clericos pauperes consolatus est. Hoc laudat *Ferrandus* Diaconus in ejus vitâ cap. 30. Quid interest, an vivæ vocis decreto Episcopus in ultimis dispenset facultates Ecclesiæ, an post mortem distribui jubeat testamento?

In Angliâ morem hunc quodammodò introduxit necessitas ad obviandum spolio Episcopii, quod intestato decedente Episcopo sibi Rex vendicabat, cui mori ipsemet *B. Hugo* Lincolniensis Episcopus, ùtùt reluctans, sese accommodavit: *Admonitus etiam*, ut testamentum pro more *faceret*, *tad t me*, inquit, *hujus consuetudinis*, jam passim in Ecclesiam introductæ: *nec habui quidquam, nec habeo, quod non sit Ecclesiæ, quam regendam suscepi; attamen*, ne fiscus rapiat, *pauperibus tribuatur totum.* THOMASSINUS *V. & N. D. E. part. 3. lib. 2. cap. 47. num. 3.* ex *Surio* ad diem 17. Nov.

His addo testamentum BRUNONIS Archiep. *Coloniensis*, non *Trevirensis*, ùt putavit *Calmetus* Abbas in *Hist. Lotharing. Tom. 3. in prob. col.* 109.; quod ex eâdem suppositione inter monumenta Trevirensia edidit Rmus, & Illmus HONTHEMIUS Prodromi *Tom. 2. pag.* 703. Ex hujus tenore manifestum est, quòd *Bruno* etiam testatus fuerit super thesauro mobili suæ Ecclesiæ, vespere dividens spolia ecclesiis. Ingressus habet: *Quæ in animum induxi* de rebus, quas divina mihi commisit munificentia, dispensandis, *vestro roborari judicio, juxta & testimonio &c. . . . Ea propter* ex sententiâ fratrum nostrorum, *Theodorici, & Wirfridi, qui & ipsi alumni nostri sunt, cuncta conscientiâ rectâ*, Deo *volente, transigantur, &* quicquid thesauri, nostris opibus illati Ecclesiæ, *quicquid enim est, clavibus hujus Evizonis viri illustris*, Kimiliarchi S. Petri, *custoditur, prater, siquid à ministris nondum relatum sit*, ne quid ab Ecclesiâ divisum esse videretur, *sub testimonio Christi, & Ecclesiæ, ante Altare S. Petri, palam* Domno *Poppone*, Protoeconomo Ecclesiæ nostræ, *congesta, diligentique ratione inspecta vasa aurea, & pretiosa*, quæque *in ministerio S. Dei Genitricis Mariæ, & B. Petri in ipsâ, Ecclesiæ in perpetuò consecrentur.* Deinde plurima legavit monasterio *S. Pantaleonis* de Coloniâ Ord. S. Benedicti, inter quæ etiam erant res Ecclesiæ acquisitæ: *Villas*, QUAS ECCLESIÆ NOSTRÆ ACQUISIVI, *Langalon juxta Rhenum, Vereberti, Heingelon, Lidron, Wishem, quà Mosa alluit, domum quoque sobrini nostri*, Metensis *Episcopi, & villam Havigan insuper, quidquid de rebus Ecclesiæ nostræ tenet, trado: detur etiam usui monachorum tertia pars hujus anni fructuum, ad usus nostros elaboratorum. Jerichomium &c. confero.* Confidit autem mox in suo successore, quem more juris Longobardici vocat *seniorem*, id est ab italico *Signore*, *dominum*, neutiquam intelligendo per hoc vocabulum *imperatorem*, ipsum non esse refra-

gaturum, sicut vidimus suprà, *Remigium* fecisse: Et *ut hoc bonâ veniâ nostris senioris, & successoris fieri queat, pro utriusque nostrûm remedio, quod Ecclesia operâ nostrâ augmentatum est, ùt libet, utatur*; volens dicere, successorem suum eò minùs contra hoc se gravare posse, quò magis *Brunonis operâ* thesaurus Ecclesiæ sit auctus, ex quo & ipse successor queat disponere in remedium animæ suæ, & Brunonis: prudentissimum motivum: Deinde legavit inter alia monasterio & claustro *B. Martini* prædium *Solagon, per precariam Ecclesiæ Coloniensi acquisitum &c.*

Ex his exemplis videmus, quoad *illos* Episcopos, *qui benè administrârunt, & reditus Ecclesiæ suæ considerabiliter* auxerunt, non fuisse observatum rigorem SS. Canonum, nonnisi *de proprius rebus* Episcopo testamenti factionem liberam concedentium.

XVIII. In omnibus verò istis exemplis adverto, 1.) thesaurum ecclesiæ, & bona Episcopi, quasi spiritualium conjugum, divini & humani juris communicationem habentium, extitisse sub eâdem custodiâ œconomi, atque mobilia inter se permista fuisse: * 2.) Sæpè Episcopos *res sibi proprias* reliquisse in hâc communione sociali, econtra verò *de rebus Ecclesiæ* donaria ultimæ voluntatis fecisse: ** 3.) Thesaurum Ecclesiæ non fuisse congestum pro solâ Camerâ, & Aulâ Episcopali, sed pro necessitatibus totius Diœceseos, cui desponsatus est Episcopus; hinc 4.) Non reputabatur esse alienatio *extra Ecclesiam facta*, quando Episcopus moriens aliis Ecclesiis, quàm *Cathedrali* suæ, & titulis minoribus per fines diœcesanos, constitutis, aliquid legavit. 5.) Potiorem tamen semper esse consideratio-nis faciendæ causam *Ecclesiæ Cathedralis*, quàm cœterarum. *** & inter has postremam earum, quæ nolunt esse sub potestate Episcopi, ùtùt essent pauperes; quoniam pauperes *diœcesani* semper sunt præferendi pauperibus, qui non sunt *de Diœcesi*.

* Et ideò adverto in SS Canonibus, sæpè emersisse dubium, *an hoc sit proprium Episcopi, an Ecclesiæ*: cujus rei *subtilis indago* fiebat tunc, quando Episcopus plus consideravit *sanguinem*, quàm *sponsam*, ùt in casu *cap. 1. de testam.*, ubi, quoniam Episcopus condito testamento *in octo unciis* substantiæ suæ *nurum* hæredem instituerat, *Ecclesiam suam* in *unciis quatuor* resi-

duis, *sollicitè* jussit S. Gregorius M. discuti veritatem substantiæ ejus. Vide de hac incertitudine rerum Episcopalium casum *coram Rota* ventilatum in unâ *Constantiensi* 18. Martii 1560. apud *Pyrrhum Corradum* dispensat. Apostol. *lib.* 10. *cap.* 1. *num.* 5. Item *subtiliter*, *&* *rigorosè* agendum est *cum hæredibus* Episcopi, testamentum *ad causas profanas* condentis, *an non Episcopus aliquid de rebus Ecclesiæ consumpserit*, *aut exinde aliquid incongruè minuerit*, ut res ipsæ ab eo, cujus interest, modis omnibus reparentur. Ita rursus S. *Gregorius* M. in *can.* 2. *XII. q.* 5.

** Hoc indulgebant SS. Canones: ita *Agathense* Concil. relat. in can. 56. XII. q. 2. & can. 5. XII. q. 5. *Si Episcopus condito testamento* aliquid de ecclesiastici juris proprietate legaverit, aliter non valebit, *nisi* tantundem de suis propriis facultate *suppleverit*. Hinc poterat Episcopus servos, mancipia, & homines proprios Ecclesiæ suæ libertate donare, dum modò alios surrogaret. *Can.* 58. *XII. q.* 2.

*** Rationem assignat *Innoc. III.* in cap. 15. de testam. *Quoniam non est tanta communio inter Episcopum, & inter Capellas, & Monasteria, seu alia pia loca, quanta est inter Episcopum, & Ecclesiam Cathedralem, cui est spirituali conjugio copulatus: unde, quæ acquirit Episcopus, non illis, sed isti tantùm acquirit.* Ex quo desumitur principium proprioris nexûs, & vinculi cum suis suprà positis corollariis.

PARERGA.

Ex Jure naturali, quod LL. dicunt Jus Gentium.

TEXTUS.

IS, qui non-debitum accepit ab eo, qui per errorem ſolvit, RE OBLIGATUR, datúrque condictitia actio. Sed hæc ſpecies obligationis non videtur EX CONTRACTU conſiſtere; cum is, qui ſolvendi animo dat, magis voluerit negotium DISTRAHERE, quàm CONTRAHERE. §. 1. *Inſt. quibus modis contra &c.*

SCHOLIA.

I. Eadem mens naturalis *indebitum ſolventis eſt, ſive rem* fungibilem *indebitè ſolvat, ſive* ſpeciem.

II. *Sicut ergò in* poſteriore *caſu non fit* promutuum; *ita quoque*, naturaliter *loquendo, non fit in* priore.

III. *Et ſicut* ſpecies *indebitè ſoluta* naturaliter *ideò repetitur, quia, ex* intentionis defectu, *ſpecies non tranſiit in proprietatem accipientis*;

IV. *Ita quoque idem eſt* in re fungibili, *e. g. frumento, pecuniâ &c. indebitè ſolutâ.*

V. *In utroque igitur caſu recipio* naturaliter *id*, quod meum erat, *nec* factum eſt accipientis, *ſed* manſit meum.

VI. *Taliter ſolvens nec voluit negotium* diſtrahere, *nec novum negotium contrahere; cùm* errantis *nullus ſit conſenſus naturaliter ſubſiſtens.*

Ex Jure Canonico.

Ad Tit. XXXI. Lib. III. Decretalium.

I. *Per religioſam profeſſionem non* confirmatur, *ſed* infirmatur *teſtamentum, & omnis voluntas ultima.*

II. *Per eandem non amittitur* uſusfructus, *nec feudum* burgenſe, *vel* ruſticum.

III. *Nec inducitur per ſe emancipatio*, quoad effectus civiles, *ſive* paterfamilias *fiat ipſe religioſus, ſive* filiusfamilias, *patre volente.*

Ad Tit. XXXII.

Theoxicè *verius eſt*, intra bimeſtre *aut profiteri religionem, aut redire, &*

consummare matrimonium debere illum, qui post matrimonium duntaxat ratum, invitâ parte alterâ, *se fecit recipi inter Novitios.*

Ad Tit. XXXIII.

Judæus, ad baptismum, conversus non solvitur à jugo suæ uxoris, in Judaismo perseverantis, nisi in ipso momento *contracti matrimonii cum alterâ, ita, ut* ligamen *solvatur per* ligamen.

Ad Tit. XXXIV.

Qui vovit sub conditione, *& hanc ipsemet* per malitiam *impedit, quò minus eveniat*, reus *quidem sit peccati, sed non* reus voti.

Ad Tit. XXXV.

I. Benedictinos *Monachos ita esse* monachos, *ut eorum institutum* quoad personas omnes *sit* purè solitarium, *nec possint capaces viri ad parochias*, aliáque, servitia proximi externa *exponi, falsum est.*

II. *Magis tamen proprium est* instituto Canonicorum regularium, *ut ipsorum cœtus sit* propter curam animarum, *etiam* primariam, *fundatus.*

III. Mendicantium Religiosorum *vita activa, & labor in vineâ Domini est* ex se subsidiarius; *licet quoque illis* ex causâ *committi possit* cura *animarum* primaria.

IV. *Quicunque verò* Regulares *præficiantur parochiis, has* in verum beneficium *obtinere non poterunt, etiamsi quibusdam in Diœcesibus recipiant ab Archidiaconis* figuralem investituram *in eâdem formâ, quâ* sæculares Clerici.

Ad Tit. XXXVI.

Non sequitur: Ordo de se est exemptus: ergo etiam hæc domus ejusdem Ordinis est exempta.

CASUS CANONICUS.

Beneficiatus resignat suum beneficium in manus Domini Papæ, apposito consensu patroni, vel proximi turnarii: moritur ante 20. dies: Q. An patronus, vel proximus turnarius, poterit alium præsentare sub scuto regulæ de viginti. ℟. *Negativè.*

Ex

Ex Jure Civili.

Ad. Lib. II. Cod. Tit. I.

Ex L. 3. h. t. *rectè* eruitur, *etiam post litem contestatam* editam actionem mutari posse; & hoc, *sive* manente eodem libello, *sive* isto quoque mutato.

Ad Tit. II.

Per L. 4. h. t. *miles, vel Clericus factus non transfert causam, coram judice, alio jam ceptam*, ad forum *militare*, vel clericale.

Ad Tit. III.

L. 13. h. t. *est intelligenda de contractibus* bonæ fidei, *exclusivè ad contractus* stricti juris.

Ad Tit. IV.

Transactio ex capite læsionis materialis, *etiam* enormis, *non debet rescindi.*

Ad Tit. V.

Retractationi calculi non longo, *sed* longissimo *demùm, tempore præscribitur.*

Ad Tit. VI.

In eodem Dicasterio nemo sedere *simul debet, &* stare; *consequenter nemo de* Assessoribus *ibidem aget* Advocatum *cujuspiam causæ.*

CASUS CIVILIS.

Titius ante annum accepit 100. *florenos Rhenanos mutuos, in meris, videlicet* 2000. grossis Hassiacis, 3. *cruciatorum Rheni; nunc solutu-rus pro certo invenit, unum* Trevirensem triarium moderni cunei, *qui authoritate Principis* 6. *Cruciatos Rheni usque ad reformationem afflictæ per Germaniam rei monetariæ generalem valet*, intrinsecè *multò meliorem esse duobus prædictis grossis Hassiacis; vult ergò pro* 2000. *grossis Hassiacis acceptis reddere minus, quàm* 1000. *tales Triarios Trevirenses: Q. An creditor teneatur hanc detractionem acceptare?* ℟. *Pro foro* exteriore *non tenetur, pro* interiore *tenetur, ne plus accipiat, quàm dederit.*

Ex Jure S. R. I. publico.

I. *In causis ordinationum* purè politicarum *subditis adversùs S. R. I. Statum suprema Imperii Dicasteria subvenire non possunt.*

II. Purè politica *ordinatio est, quæ subditorum jura quæsita, laudabiles consuetudines, libertates, & privilegia intacta relinquit.*

Ex Jure Feudali.

Jus Feudale Longobardicum *præfertur Juri feudali* Alemannico, & Saxonico, *nisi doceatur de horum postremorum Jurium observantiâ præferentiali.*

Ex Jure Criminali.

De Jure Canonico lapsu quieto 20. *annorum præscribitur persecutioni criminum fiscali* in ordine ad vindictam; *non verò in ordine ad abolendas* irregularitates, *cœteráſque* inhabilitates, *nec in ordine ad subterfugiendam* pœnitentiam publicam, *aut quò minùs Episcopus* ratione ſcandali, *ex detecto crimine antiquo oborti, providere posset.*

Ex Jure Statutario Trevirensi.

Non obstante §. 6. in fin. tit. III., *nec non* Nov. 89. cap. 12. §. 2., *potest pater liberos suos legitimos reducere ad puram legitimam, & liberis* mulieris quæſtuariæ, quâcum conſuevit, relinquere *plus, quàm unciam.*

HISTORICUM.

BARONIUM *in recenſendo cap.* Adrianus 22. *diſt.* 63. *immeritò infiliiſse in* SIGEBERTUM, Gemblacenſem Abbatem, *velut hic fabulam* Juris Regii, ordinandi Apoſtolicam Sedem, *primus confinxiſſet, ſemper docui. Non eſſe* Sigebertum, *ſed* alium, *eo poſteriorem, hujus laciniæ Chronico ejuſdem ad an.* 774. *inſutæ, reum, ex* Auberto Miræo, *qui codices ejus MSS. evolvit, nec in ullo vetuſtiorum hoc emblema invenit, rectè arguit Exim. P. & D.* Hartzhemius *S. J.* Tom. 1. Concil. German. pag. 350.

I. O. H. D.

4)(✻

ebere illum, qui post matri
te alterà, se fecit recipi inter
XXXIII.
solvitur à jugo suæ uxoris, et
momento contracti matri
vatur per ligamen.
XXXIV.
ipsemet per malitiam impedi
peccati, sed non reus voti.
. XXXV.
monachos, ut eorum institutum
è solitarium, nec possint tacere
tia proximi externa exponi
tituto Canonicorum regula
curam animarum, etiam pri
um vita activa, & labor in
licet quoque illis ex causâ
a.
preficiantur parochiis, has in
nterunt, etiamsi quibusdam in
figuralem investituram
rici.
it. XXXVI.
emptus: ergo etiam hæc
pta.
CANONICUS.
beneficium in manus Domini
ximi turnarii: moritur
turnarius, poterit alium
gativè.